

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80; ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo Lib. 0.10 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, *commentarii VOX URBIS* possessorem et administratorem
ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15.

VARSAVIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.

28. Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

SS. D. N. Pii PP. X litterae ad Aristidem Leonori equitem, Commentarii
Vox Urbis possessorem et administratorem.

De Passione Christi Domini carmen ANDREAE VITALIS patricii Cavensis.

Varia latinitas. - Paroemiae sive adagia: Qui quae vult dicit, quae non vult audiet.

Excidium Correrianum. - Carmen FRANCISCI XAVERII REUSS in certamine poetico
Hoeufftiano Amstelodami a. MDCCC VII magna laude ornatum.

De Borgianis aedibus in Vaticano.

Iosue Carducci.

Colloquia latina. - Lusus pilae.

Ex Batavia. - De certamine poetico Hoeufftiano.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi
viri clariores.

Annales: Gallorum fides. - Ibericae res. - Brunsvichiani regni successio. - Macedonum
perturbationes. - Mauritanum civile bellum. - Bulgaricum crimen. - Rumenica se-
ditio. - Americanum bellum. - Russorum discessus ex Asia.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Caelestinus Durando.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia IOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis
aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI
Pontificia officina Candelarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamentis decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candelarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SATURIO Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

SS. D. N. PII PP. X LITTERAE

ad ARISTIDEM LEONORI equitem,

Commentarii *VOX URBIS* possessorem et administratorem.

Iam hunc nostri Commentarii numerum praelo commiseramus, quum, singulari plane laetitia perfusi, litteras, quae sequuntur, ab amantissimo Christiani Orbis Patre ac Magistro accepimus; neque moram ullam interponere voluimus, quin socios et lectores tanti honoris participes haberemus.

Laudes atque huiusmodi confirmatio sunt nobis profecto maximum, quod sperare potuerimus, adsidui laboris praemium; sunt ad opus alacrius prosequendum flamen et incitatio; ut bonum pariter, felix faustumque in posterum id siet, ex sociorum quoque gratia in dies crescente liceat auspicari!

DILECTO FILIO ARISTIDI LEONORI, EQUITI
MODERATORI COMMENTARII « VOX URBIS »

PIVS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum decem ante annos conditum tuis curis Commentarium « Vox Urbis » novimus, numerosque perlegimus primos, in quibus tam laeta inerat afferendorum expectatio fructuum, non modo propositam commentario rem iucunde intelleximus, fovendum, id est, latinum sermonem eiusdemque usum, velut aptissimam doctis ex omni natione linguam, vulgo suadendum, verum etiam propterea delectati vehementer sumus, quod probabilem nobilemque causam susceptam commentario videremus Apostolicae Sedi in exemplum coniuncto, eoque plane Romano, ita quidem ut, per istam etiam aetatem eius late proferret venustissimam vocem Urbis, quae sit latinitatis eademque Religionis domicilium.

Decem elapsis annis, quibus multa te, pro persequenda causa, et peregisse viriliter et tolerasse generose scimus, non aliter officiosis litteris, obsequii ergo datis, placet rescribere, quam Nostrae delato testimonio laudis, animisque pro merito adiectis. Laudes quidem constantiae et firmitati consilii debentur, unde honestam commodamque litteris prosecutus es rem; additi vero animi eo pertinent, ut inceptum sollerter insistas, clariusque quotidie de bonis litteris ac de religione merearis, id certo ratus non tuae defutura progressurae operae consentanea benevolentiae Nostrae argumenta.

Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque voluntatis testem Apostolicam tibi Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvii Martii MCMVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIVS PP. X.

DE PASSIONE CHRISTI DOMINI

CARMEN ANDREAE VITALIS PATRICII CAVENSIS

INCUMBERE aliquando in litterarum sacrarum sive versibus sive soluta oratione exaratarum studium, sese in illum vitae ac salutis fontem nonnunquam effundere, magno hoc est unicuique commodo, haud minus quam si lavatione vel aliqua praestanti medicina vires infractae reficiantur. Quidquid enim ad religionem pertinet, tantam redolet virtutem et pulchritudinem, ut animos vel hominum qui christianam abnuunt doctrinam ad sese alliciat, atque, progredientibus annis, mirabili quadam fascinatione errorum nubes discutiat mentesque praeceptis salutaribus satiet.

Quum enim Sannazarii opus *De Partu Virginis* vel Viduae Hieronymi cremonensis sex libros *Christiadis*, primum vere christiani epos exemplum, in quo verborum splendore canitur « Redemptio » animi causa lego, sensus iucunditate quadam perfunditur, vires quasi reficiuntur, tamquam si conquisitis epulis et somno corpus curetur: scilicet tum devoto poema, ex quo nulla vis potest me resolvere.

Adde quod poetae et ii qui materiam religiosam oratione pertractant, nescio quodam divino spiritu inflantur, quapropter suaves formae occupant mentes, verba quasi melle manantia fluunt ex ore, dulcibusque modis lectorum animi tenentur.

Alfonsus Varano, qui saeculo XVIII floruit, ad Voltairium refellendum, pedestri et unius tenoris numero *Visiones* exaravit. Verum tanti non erat hoc opus conficere! In ius poterat sane afferri Dantis *Comoedia* ac Miltonii *Beatorum sedes amissae*: carmina luculenter evincencia, quot qualesve formarum fontes de christiana religione omni tempore possint deduci!

Nostra autem tempestate, qua vitium magis magisque serpit in dies et omnibus viis, atque argumentis, quae plerumque redolent artificium, virtutem ex animo scriptores impudentes detergere conantur ac quasi agere in exsilium, haud dubium est quin sacrae poesis loci, quibus vere vita et salus trepidet, unumquemque nostri iuvent, tristes animi curas levant, nos ipsos erigant ad illam prope felicitatis scatebram contemplandam, in qua Deus imminet.

Hoc consilio, hoc ut ita dicam sensu, placet mihi ex oblivione revocare *De Passione Christi Domini octium metricum* « puerile » Andreae Vitalis patricii cavensis: opusculum vel poematum perrarum, cuius, ut spero, notitia ab huius Commentarii lectoribus « merum amorem » accipiet.

Non me pietas incunabulorum movet, non admiratio canentis, quamquam id per se admirationem facit, illum nondum puberem, primo inventutis flore, fauste religionis opus versibus temptasse; sed potius pervulgandi studium invenilis ingenii fructus, ut bene qui sentiunt, vocem istam audiant deique inter laudes, servato spatium, referant.

His praemissis, summam carminis perstringo:

Altior quidem argumento proposito, quod non quingentis hexametris, sed pluribus sane carminibus evolvi debeat, in quo autem vergiliano hemistichio « *lavinaque venit litora* » illud

opponitur « *bethlaeaeque venit limina* », furor et circuitiones passim ab Aeneide mutuans, poeta Christum et Virginem sic tenere alloquentes inducit, ut nobis, verborum modulamine in quibus flat suavitate deique voluntati obtemperacionis Spiritus, magnopere molliat animum et fere fletum moveat. Strictim inde postremam coenam cum discipulis attingit, a quibus his verbis discedit Iesus:

*Tempus adest, ducente Deo, tela inter et arma
Expeditur, letho velox ibo obvius*

et urbem linquit

per prima silentia noctis.

Hac in suavi descriptione aliquot picturae nobis ante oculos obversantur, quarum colores Vergilii areola suppeditat: profectio ad hortum, preces ad Deum, adventus angeli, qui est *aetherea caeli demissus ab arce*, ita ut videatur Maiiae esse filius, calix amarus, nefariorum hominum turba, Iudae osculum et comprehensio turpis.

Advocata autem Calliope *querulo moestissima cantu*, poeta Christum exhibet, verberibus, contumeliis, blasphemis undique subiectum, dum surgat aurora, *medio minitans . . . Olympo*, qua carnifices in ius eum conducturi erant, ut gravioribus delictis arguant. At iudex tot scelerum illum reum non comperit: tunc plebs incensa clamore insequitur: *Ecquis rabiem cohibet. . . ?*, et Iesus damnatur ad verbera. Hinc novi cruciatus, novae contumeliae, dum iuventus irridet *furiis minacibus ardens*.

Vesper adest: primus martyr, ornatum regalem ironice indutus, miserimum sui contemptus et ignominiae facit plebi spectaculum, cum Alecto, *atris armata flagellis*, in somnis adest iudici, cui suadet ut capitis sententiam ferat. Insequente die, hic animi pendet etiam, sed tandem, multitudinis victus clamoribus, cedit eodemque tempore *miserans hominem precibusque benignus* sententiam profert damnationis ad extremos cruciatus. Hinc in iudicem obiurgatio:

*Improbe, te scythiae cautes in vallibus aut te
Caucaseae genere nives . . . ,*

quae comparanda est cum illo loco vergiliano, in quo Dido vehementer Aeneam incusat: (*Aen.* V, 366, 367):

*Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus . . .*

Interdum crux in promptu est, ascenditur Calvarius, quum Iesu alma Genitrix occurrit *spissis late loca quaestibus implens*, velut mater Euriali quae *caelum dehinc quaestibus implet*. (*Aen.* IX, 480).

Maria tantam non passa est indignitatem et concidit, dum poeta exclamat: *Quid non moestissima cogis Pectora, prolis amor?*, quod illud vergilianum sapit: *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* Et quum Virgo se recipit filiumque respiciens ingemiscit: *Quantum diversus ab illo!*, nonne venit nobis in mentem

Vergilii hemistichium: *quantum mutatus ab illo Hectore?* (*Aen.* II, 274).

Plebs in montem Golgotam pervenit ac, dum clavis « Salvator » configitur, magna cooritur tempestas, quae quodammodo vult vergiliana quoque persequi vestigia.

At crux iam attollitur: Iesus, duobus circumventus latronibus, Patrem adpreccatur ut iis qui martyrio affecerant, ignoscat poetaeque e labiis haec eripit verba:

Tantum Adae genus, o mirum, dilexit amicum!

Hic superi advocantur chori, ut linquant *stellantia templa*, suumque visum eant Dominum; sed iam iste, inclinato capite, animam egit. . .

Terra, mare, caelum miscetur: *Inna pallentia contegit ora*, sol *abdit nubibus infirmo radiantibus lumine crines*, dubium *sitne Dei proles* haeret mentibus, ac Longinus ob pectus ruptum oculos restitutos habet.

Quum carminis finem poeta attigisset, nihil aliud consilii esse putat rectius, quam ut hominem alloquatur ac tanto pro supplicio hortetur, ut se lacrimis tradat, hisque terminat versibus:

*Sic denique victor,
Claros edomito referes ex hoste triumphos,
Atque exoptati sedes habitabis Olympi.*



Hoc carmen, cuique legenti, luce clarius patet a quodam invene auctore exaratum esse, quem valde vergiliana studia accendissent. Aurorae, vespero, nocti iidem fere adhibentur colores, quos Vergilius scite aptat illis; ac si quamdam aliam imaginem auferas, vel similitudinem, Alectum unam Eumenidum sororum, totamque verborum et circuitionum coacervationem, nihil aliud restat, nisi quaedam historiae propria de Passione Christi versificatio. At historiae saepe rationes poeta diligenter non servat, quod solum Pilati iudicis mentionem facit, quamvis nomine tacito, Herode atque Caifas praetermissis. Neque, ex mea sententia, inspicere potest in versu, e carceribus ad calcem, eadem blanda numeri vis, variis flexibus modisque cantus respondens, sed aliquid sonantius passim recurrere videtur.

Utenumque autem se res habet, hi naevi nullius sunt momenti, praesertim quum ratio Vitalis aetatis habeatur, qui quartum supra decimum attingens annum hanc opellam elaboravit, et quid sibi proposuerit, idest sermonis usum « velut in levis cuiusdam velitationis specimen ». Ceterum magnum sibi magistrum exemplar sequutus est, cuius descriptiones imaginesque adhibet ac suo in opere effingit, ita ut aeternus Genitor imaginem quamdam Iovis reddat, Christus Aeneae atque Hectoris memoriam afferat, Virgo Hecubae Andromachaeque personam agat, Angelus demissus a caelo « Mercurius fere Christianitatis » videatur. . .

Aetate, qua, albescente saeculo XVIII, canora Academiae multiloquia occupabant mentes et infarciebant scripta, vel Arcadiae gerrae pastoritiusque mos Vincentii Graviniae pastorum gemitibus atque agnorum belatibus lit-

teras implebant, hoc carmen e tenero adolescentis ore effloruit, qui viridi valle cavensi primis poetarum propriis somniis obdormivit et omnia quae in caelo sunt, contemplatus est. His vero somniis, quae valde litterariae saeculi mollitiae repugnabant, e Vergilii versibus elegantiam hausit, quam optime cum christiana mente coniunxit, illum sane magnum eventum fingens, qui religionis est culmen novique cultus humanitatisque principium.

Ex primo saeculi XVIII ortu, dum inania opera in totam Italiam inundant, dugenti vel pluseculum anni transacti sunt, ac sub umbra quae tot versificatorum nomina neapolitanae regionis involvit, ex Athenaei discipulo ad aulae suasorem, e clerico ad dominum, qui versus rerum inopes exaraverunt, nemo est, prope dixerim, qui poetae cavensis meminerit, qui — iuvat recordari — vix incunte adolescentia Passionem Christi deducto quingentorum et duodecim hexametrorum carmine cecinit.

Hoc silentium volui rumpere, hoc nomen in lucem restituere, huic oblivioni mederi.

Salerni, Kal. Mart. MDCCLXXVII.

M. GALDI.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Qui quae vult dicit, quae non vult audiet.

Hieronymus in *Rufinum* haec proverbii loco citat. Terentius in *Adria*: « Si mihi pergat quae vult dicere, quae non vult, audiet ». Rursus in prologo *Phormionis*: « Benedictis si certasset, audisset bene ». Eodem adlusit in prologo *Andriae*: « Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua ». Primus huius adagii Homerus fuisse videtur, quando in *Iliadis* Y: « Talia dicentur sibi — Graece scripsit — qualia ipse dixeris ». Item Hesiodus lib. de *Operibus et Diebus*: « Fors male dicenti dicentur plura vicissim », ac deinceps: « Si quod prior ipse aut verbum aut factum vel dicas, vel geras molestum ad te rediturum noris foenore duplici ». Euripides in *Alcestide*: « Si male dixeris nobis, mala invicem permulta nec falsa audies ». Longe venustius idem extulit Sophocles, citante Plutarcho: « Solet enim qui dicta temere iecerit nolens audire verba, quae nolens dixit ». Quin etiam nostris diebus eiusmodi quiddam vulgo dictitant: « Ut salutabis, ita et resalutaberis »; h. e. « ut tua fuerit oratio, ita tibi respondebitur ». Plautus: « Contumeliam si dices, audies ». Caecilius in *Chrysi* apud Gellium: « Audibis male, si male dicis mihi ». Eodem pertinet Euripideum illud apud auctores passim obvium, quod Latine redditum sonat: « Infraenis oris et iniquae recordiae finis, seu vectigal, calamitas ». Celebratur quoque inter Chilonis apophtegmata, non esse maledicendum iis quibuscum agimus, alioquin audituros quae molestiam adferant. Huc denique adscribi potest versiculus, quem Quintilianus ut vulgo iactatum citat: « Nec male respondit, male enim prior ille rogarat ».

EXCIDIIUM CORRERIANUM⁽¹⁾

Carmen Francisci Xaverii Reuss in certamine poetico Hoeufftiano Amstelodami a. MDCCCLXXVII magna laude ornatum.

« Siste, o siste domi! sub sidere namque maligno haec est orta dies; qua decurrente, Camille, anthracinas o et ipse cave penetrare Fodinas, et caveant hi tres, nostro de sanguine nati, pubes cara, senescentum spes una parentum ».

Talibus Anna virum dictis gemebunda rogabat, ne pro more suum fossoris, mane micante, aggredere opus. — « Cras », — instat flebilis uxor, — « cras fode, non hodie; nec risum tolle, sed audi: Est hac nocte mihi, per somnum, visa Megaera atroa, horribilis, vepallida et ossea tota.

Ossea per turmas hominum, stridentibus auris, magnam vibrabat, spargentem funera, falcem. Sanguinolenta velut messis, percussa iacebant corpora: longa strues, tetrus congesta sub antris. Horrens evigilo, ferali territa visu; dumque fugit somnus, quater occidit, omine tristi, vox ululae, nostras audita ferire fenestras. Ah! coniux, si me quid amas, absiste fodinis ».

Vir trepidam monet uxorem, sua somnia temnat, phantasiae lusum: — « Nihil est » — ait — « unde paveas; eia age, da solitos natis solitosque marito amplexus; huc nos reduces tua coena videbit. Oscula nunc satis haec...; vos ferte viatica nostra in calatho, iuvenes; matremque iubete valere. Regnat ubique Deus qui, sole potentior, idem viscera telluris faciemque serenat apricam ».

Anna! quod audisti resonare Vale, quater ictum, conde sinu: tibi cara τερπὰς; num salva redibit?

Undique turba petit puteos, qua fossor ad imas vectatur caveas, superam revehendus ad oram. Immensum, si magna licet componere parvis, agmen credideris fervescere formicarum. Exsulat hinc torpor: sua certant solvere pensa pes alacer, callosa manus, validique lacerti et quae frons fuligineo sudore madescit.

Vasta super puteal, ferreis inserta catenis, ferroque ipsa rigens (carpentum pensile dicas) arca exurgit, iter cui panditur, axe rotante, altas ad foveas: via longa, sepulta sub umbris. Machina nunc homines infert vectoria fossis; nunc trahit ad lucem, quas prisca recondidit unda, silvas ingentes, in saxa nigrantia versas, queis turrata calent aevi fumaria nostri. Perstrepit interea ferri, ferrata prementis, stridor, ut horroni fremitus videatur Averni.

Mox tamen ut caveas tetigere vehicla profundas, cuncta repente silent, velut inviolata sepulcra.

(1) Recens adhuc memoria est horreni incendii, quo superiori anno d. X mens. Mart., deflagarunt Fodinae carbonariae Correrianae (Courrières) in agro Atrebatensi. In ea calamitate perierunt fossores circiter MC, praeter eos, qui, ut victimis succurrerent, sponte in ardentibus foveas descenderunt. Spatio solidi mensis, nihil non fuit tentatum, sive a sociis civibusque, sive etiam ab advenis, ut pars saltem sepulcorum luci ac vitae redderetur, sed fructu eheu! admodum exiguo.

Vigesimo conflagrationis die, res contigit mira atque instar prodigii habita: nam reperti sunt fossores XIII etiamnum vivi, quamquam aerumnis, inedia foedoque aere paene confecti. Horum duces testem adesse volui morienti Camillo, cuius supremum Vale moestissimae Annae referret.

In carmine fere omnia ita descripsi, uti reapse acciderunt; sic etiam seram memoravi nivem, qua tum ager anthracinus candicabat. Ex industria autem mutavi catastrophes horam, quam, ut describendo fossorum prandiolo daretur locus, ex antemeridiana transtuli in ipsum meridiem.

Tum subit urbs taciturna, viis dissecta, tuique, Daedale, subter humum rediviva Erroris imago. Quotquot eunt calles, per inextricabile serpunt curriculum, longeque nigri lateque vagantur. Tramitis angusti fauces crevere subinde amplas in plateas, ubi densus inhaeserat anthrax. Vicos lustranti caecos longinqua lignonum una sonat vox, cum gemitu fossoris anheli.

Non, ut vertit agros felix sub sole colonus, noster arat fossor terrarum concava. Vultu stat prior erecto, caelique salubribus auris gaudet et arborum cultu fructuque nitenti. Alter, ubi lapidis furvi nova vena dehiscit, udae stratus humi, conante manuque genuque, adrept caute, gestans prae fronte lucernam (1). Post, lateri incumbens laevo, dum spiritus aegre ducitur, armatam ferro sustollere dextram incipit, et scopulis exsculpere fragmina prima. Quantus in his scrobibus sudor! discrimina quanta! Iam de rupe latens ruit amnis, et omnia mergit; iam caveae fornix, nondum fulcimine tutus querno, mole sua fodientis conterit ossa. Iam tetrae spirant aurae saturaeque venenis; aut vapor erumpit, cui vel scintilla lucernae iniicit extemplo, tonitru reboantibus antris, fulmineos, nullum quos flumen comprimat, ignes.

Martius ad decimum solis processerat ortum, dimidiumque viae sol fecerat ipse diurnae. Friget adhuc tellus, nive sera nuper amicta; canet et anthracinus, solitus nigrescere, tractus. Instabant operi fossores: mille latebant ac plures, caveis imis mediisque recepti. Exierant reliqui, patulis prandere canistris hac illac visi, suus ut fossoribus est mos. Parta labore fames vulgaria fercula condit; praebet fons aliis, aliis cerevisia potum; summa dapum: panes et casea, sive suillae fumosum segmen; calidi nil; vespere tantum, fervida coena viros manet, ad sua tecta reversos. Ecce sed immensum subitumque profunda fragorem edit humus, superasque sonor quatit horridus auras. Nutat terra tremens, oscillant (2) tecta, fenestrae dissiliunt, vitri ruit undique tinnula grandio. Sensus ut attonitis animis redit, oraque solvit: — « Ad foveas heus! ad foveas! » — clamatur ubique; — « ardet fossa; feramus opem, celeremque feramus, ne socii pereant, succenso carcere clausi ». Curritur ad puteum; putei sed prosilit ore flamma vorax, lambitque pedes descendere promptos. Idem, qui cratera vetat penetrare Vesevi, Mulciber ignipotens prohibet tentare fodinas. Ira quisque fremit vana, spectare coactus, testis iners, heu! tot fratrum crudelia fata.


Vox tum missa: — « Patet fortasse remotior alter e puteis ». Huc turba volat; vacat ignibus hiscens fauce nigra puteal, primique vehuntur ad ima. Hos inter fuerat certamen, quis prior antra, ferret ut auxilium, flagrantia fortis adiret.

(1) Solent fossores lucernam ferre, pileo aptatam.

(2) Verbum hoc, ab « oscillo » ductum, Festus admittit.

*Arcetos per calles, aër quos fumidus implet,
audax progreditur, face praelucente, manipulus;
praeterit, effracto qua fornice saxa vacillant
pendula, qua spissis via passim strata ruinis
vix incurva sinit lente prorepere terga.
En specus apparet, vicinior unde remugit
atque implorat opem vox plurima, nunc ululatus,
nunc edens gemitus, queis flebilis assonat Echo.
Auget amica phalanx sua tum conamina, gressum
accelerat, solers obices removere supremos.
At fumi nova vis, aestus vehementior eheu!
obruit impavidos, diro mox igne vorandos.*

*Hanc Deus incolumem servet;... soletur et orbam
coniuge me, ... natisque tribus, ... quos perculit uno
Mors ictu, ... caeli memores... caraque parentis.
Ipsam me nunc vita fugit, ... dum vulnera Christi
osculor, ... unde salus oritur mansura per aevum.
Questibus iratis... et mater parcat et uxor, ...
qua ratione queri... gens impia sivevit... et exspes.
At nobis, ... queis Christi adum lux alma refulsit, ...
Mors dabit exsilium Patria mutare, ... laborum
finis ubi certus, ... merces ubi larga, ... perennis'. —
Vox ibi defecit, singultu fracta, loquentem,
qui moritur, vita longe meliore potitus».*



Borgianarum aedium in Vaticano aspectus exterior.

*Horum sospes iit socius vix unus et alter,
aegre quos demum Vulcanus reddidit ardens.*

*Post alios, alii subeunt spelaea manipuli;
noctes atque dies desudant; nec semel haurit
praedas flamma novas, praedas et oborta mephitis.
Perlustrat, cum cive pio, pius advena fossas;
tentatur quidquid vetus experientia, quidquid
ars hodierna docet: tentamina cassa fuere.
Quos fornax tenet obsessos, hos funera tantum
restituunt semiusta, putri stillantia tabe.*

*Ac matres sponsaeque suos agnoscere caros
vix poterunt: ingens clamoraeque turba dolentum.
Altius haec iterum lamenta feruntur ad astra,
longa feretrorum series ubi compita transit,
longus ubi tandem tumulorum cernitur ordo.*

*Parva tamen manus, ex omni legione superstes,
evasit puteis, confecta fameque sitiue.*

*His praecerat Lodoice, qui verba suprema Camilli
natorumque trium lacrimosae rettulit Annae:
- «Anna, tuum cohibe fletum», - sic nuntius inquit;
- «audi quae, moriens, voluit tibi dicta maritus.
Cum sociis ego bisseis per tetra vagabar
antra, locum quaerens, ubi nos spirabilis aër
exciperet, quem sub tenebris in corpora prona
offendo. 'Quis tu?', rogito; 'vivisne?' — 'Camillus
est mihi fossori nomen' (sic languida fatur
vox hominis, gemitu tamen intercepta frequenti);
'Anna mihi coniux... a quibus optima lustris.*

*Correriana pios tibi sensus, lector amice,
clades ingeneret. Dum menses ipse nivosos
exigis ante focum, iucundo, quem ciet anthrax,
membra calore fovens: animo miserante revolve
duram fossorum sortem, qui, caeca per antra,
ipsi saepe sibi fodiunt immane sepulcrum:
quos utinam recreet spes nostri laeta Camilli!*

DE BORGIANIS AEDIBUS

IN VATICANO.

BORGIANAE Vaticanae aedis lectoribus prae-
bere aspectum nova temporum fata hisce
diebus suaserunt. Tandem enim, postquam a
Leone PP. XIII earum aedium aulae fuerant
in pristinum splendorem restituae, eas modo
vir Purpuratus exteris Romanae Sedis negotiis
praefectus, qui ibi ad tempus munificentissime
habitaverat, iterum civium advenarumque ad-
mirationi reliquit.

Quae itaque aedes saeculo XV exeunte
sumptu magnifico ab Alexandro VI Pontifice
excitatae fuerunt, nostris oculis iterum patent.
Ibi muralium tabularum aulae eximiis sum-
morum pictorum operibus ditescunt, ibi vetera

arma, quae pendent et rutilant, miras divitias
magis insignes faciunt. Demirari enim licet
pontificalis militiae ferrea seta, loricas, galeas,
femoralia, tibia, gladios, cuspides, variosque
ignivomarum ballistarum modos, qui iamdiu
obsoleverunt, ex quibus omnibus romanae Pon-
tificialis historiae gesta haud parvo lumine col-
lustrantur.

Quae tamen maximi pretii thesaurum con-
stituunt, parietales, prout diximus, picturae
sunt, quas Alexandri Pontificis inssu, Bern-
ardinus Bethi filius, cognomine Pinturichius,
pictor e Perusina schola, il-
lustrissimus, ibi effinxit. Hic
enim Petri Perusini inter disci-
pulos maxime celebris evasit
atque Raphaeli Sanctio, omnium
pictorum principi, amicitia fuit
coniunctissimus. Licet autem ma-
gistri peritiam in figuris deli-
neandis nunquam sit assequutus,
tamen in effigendis vultu atque
personarum facie, amici sui per-
itiam prope aemulatus est. Prae-
cipua eius opera Senis in cathedra-
lis sacrario prostant; Urbeve-
tere deinde et alias quoque per
Umbriae urbes magnifica is edi-
dit specimina artis suae; Romae
vero nil exquisitius hisce aulis
pinxit, ubi inter Christianae reli-
gionis mysteria Borgianae gen-
tis gesta repraesentavit, ex qui-
bus multos licet deducere vultus
virorum foeminarumque tunc
temporis viventium, quas histo-
riae vicissitudo variis modis fe-
cit notissimos. Eas picturas ae-
desque Borgianas in Vaticano
iuvabit in proximis fasciculis

per partes lectoribus illustrare: sit autem modo
satis externam earum aedium faciem dedisse,
pariterque pictoris excellentissimi imaginem,
qui tanta artis peritia eas olim ditavit.

IOSUE CARDUCCI.

POETA, quem occidente superiore anno Sue-
tiorum legatus Nobelio praemio donaverat,
non secus ac Torquatus Tassus obtenta vix
laurea in Capitolino monte corona, a viven-
tium numero excessit, non ab Italis tantum, sed
ab universis, quae humanitati serviunt gentibus
celebratus; is enim fuit animus eius, qui sui
operis in admirationem quotquot adhuc ubi-
que litterarum studiis vacant, rapuerit.

Fuit origine Hetruscus, apud paludes natus,
septuagesimo tertio abhinc anno, in oppido Pe-
trasancta. Patrem habuit medicum, virum Ita-
licae gloriae renovandae studiosissimum, atque
proinde factionibus et coniurationibus, quae
tunc agitabantur, deditum; cuius ad exemplum
filius diligere patriam scivit, et a servitute
abhorrebat. Inde civile eius munus, quod deinde
incredibili constantia et labore gessit, origines
ducit. Nam impatiens servitutis animus sive
publicas calamitates queri, sive mollem poe-

ticae art
Quamqu
tunc Ita
stolicae
eam Ital
quoque
sorte di

Ea int
liae fat
anno m
atque e
ma Ios
egestate
liam, r
etam, s
etam u
suis ser
set. Ha
plenus
multipl
quod qu
versibu
praestit

Sed p
unitate
diu ext
ctis, d
late pe
visa es
ultra fi
gentes
longinc
Haec
ab ad
rio, qu
nasia
naem
mum t
nostran
riam d
scriben
ceret a
athena
senecta
cuis in
et poes
storiae
pta, no
dimitu
perven

Ac iu
rium a
Victori
Italis,
poeta
tium, l
sideria

Id e
minibu
dies e
libris,
Iambi
quas b
versus
ulla v

Quin
studio
est, ut
tionis
rupti p

ticae artis sonitum odio statim habere coepit. Quamquam errore captus circa insignem, quam tunc Itali passim aegre tolerabant, Sedis Apostolicae in suis tuendis iuribus constantiam, eam Italiae bono adversari existimans, Christi quoque sacerdotes ac religionem spernere mala sorte didicit.

Ea inter matura fiebant Italiae fata, bellum in Austros anno MDCCC LIX renovabatur, atque cucurrisset sane ad arma Iosue, nisi, patris obitu, egestate laborantem familiam, matrem nempe dilectam, sorores, recensque ductam uxorem suo labore et suis scriptis alere coactus esset. Haec iure retulit irae plenus poeta, quum eius aemuli ipsum incusare ausi sunt, quod quae alto praeconio suis versibus praedicabat, re non praestitisset.

Sed peracta tandem Italiae unitate iunctisque provinciis diu extraneo dominio seiunctis, diffundi poetae gloria late per omnes urbes italicas visa est citissime; quin etiam ultra fines Ausoniae brevi ad gentes finitimas pariterque longinquas felicissime deduci. Haec immo gloria fecit, ut ab adolescentium magisterio, quod diu poeta per gymnasia exercuerat, ad athenaeum Bononiense celeberrimum tandem vocaretur, ubi nostrarum litterarum historiam doceret, iuvenesque in scribendi arte perardua exerceret atque erudiret. Hoc in athenaeo itaque ad multam senectam paulatim Carducci inter magisterii munera et poseos vel litterariae historiae aut criticae artis scripta, nova semper gloria redimitus, plausuque omnium gentium excultus pervenit.

Ac iure quidem; nam, ut Gallicum illud diarium a *Debats* vocatum optime assernit, post Victoris Hugonis obitum nullus, non modo ex Italis, sed nec e latinis gentibus exstiterat poeta nostro maior, nullus qui latinarum gentium, licet ethnicorum more, sensus, studia, desideria, fata, gloriam altiore carmine cecinerit.

Id contra praestitit Iosue a primis usque carminibus, quae *Iuvenilia* vocavit, sed magis in dies elato stylo et cantu sublato fecit editis libris, quibus tituli: *Levia Gravia*, *Epodi et Iambi*, *Nova Carmina* iisque maxime odibus quas barbaras dixit, quibus post Venosini vatis versus nihil elegantius, nihil fortius latina ulla vox fortasse condidit unquam.

Quinimo Venosini fontis aquas tam sedulo studio suam in venam deduxisse Iosue visus est, ut plurimi eum servilis omnino imitationis incusaverint et veluti corruptum incorrupti patris natum condemnaverint.

Id vero immerito assertum est. Dum enim Horatii vatis vim, sobrietatem, nitorem, venustatem, artemque canendi omnem suam veluti fecisse Carducci apparuit, quae scripsit tamen non Horatii erant, sed sua, sed novissima, sed ea quae passim aequalium suorum animos ant ad odium aut ad studium moverent, quae



Bernardinus, Bethi filius, cui cognomen *il Pinturicchio*.
(Ex imagine a se ipso depicta).

eorum in animis novum patriae amorem inducerent, quae ad civilia munera eos instituerent et adducerent, ita plane ut nullus forte poeta ad nova Italiae fata provehenda maiorem contulerit opem.

Qua in laude multis visus est Alexandrum illum Manzoni, vatem Insubrem, proxime Iosue fuisse aemulatus: ut enim ille Italicae instaurationis anno MDCCC XLVIII et sequentibus annis pertentatae princeps poeta est auditus, ita Iosue de perfectis peninsulae fatibus tuba potenter cecinit. Sed tamen dicendi forma, animi sensibus et ingenii indole, interdum acri, at ignea semper et elata, impatiens imperii, religioni infauste obnoxius, a Langobardo piissimo vate multum Hetruseus hic distabat, qui proculdubio latini nominis et indolis postremo hoc tempore clarissimus interpretis evasit, atque a latino sermone copias novas in hodiernum deduxit; non ideo indignus, quem hac praesertim virtute in commentario nostro commemoraremus.

COLLOQUIA LATINA

Lusus pilae ⁽¹⁾.

ARNOLDUS. — Visne certare nobiscum pila, Laurenti?

LAURENTIUS. — Equidem volo, et quemlibet vestrum provococo.

A. — Fateor te in hac palaestra longe me exercitatio-rem.

L. — Age, largiar tibi terminum quam potes mittere longissime.

A. — Largire mihi quindecim.

L. — Faciam tibi unius errati gratiam.

A. — Placet mihi. Suntne plures qui velint colludere?

PETRUS. — Sunt.

A. — Qui?

P. — Carolus, Martinus et Guilelmus.

L. — Agedum, sumus numero sex, haud multum dispares.

P. — Sortiamur, quis cui iungatur.

CAROLUS. — Nos tres vos provocamus.

L. — Id neutiquam permisero: scio quam perite Martinus iudat.

A. — De pila Martinum non metuo.

L. — Ducamus sortem igitur, qui sint futuri comites.

A. — Ducamus.

L. — Eia! mihi oblata est optio. Ego mihi Martinum sumo et Carolum.

A. — Placent mihi Petrus et Guilelmus.

MARTINUS. — At pilas non attulimus.

GUILELMUS. — Mecum habeo unicam.

L. — Non sufficit. Ego in singulos semissem suppeditabo; diminuetur mihi, si victoria cecidero, aut reddetur, si potitus fuero.

M. — Andrea, excurre in viciniam empturus nobis pilas; ubi ludendi finem fecerimus, omnibus te donabimus. Fac, redeas quantocius.

A. — Martine, interim nobis accersiturus abi, qui nostros notet terminos.

M. — Faciam equidem lubens.

P. — Nos definiamus interea quae sit futura iaciendi meta, qui ceteri limites.

L. — Etiam apparent a superioribus diebus. Sortiamur utra pars intus, utra foris sit constituta.

C. — Veteres vos in hac estis palaestra: priores intra linea consistite.

L. — Non sinam; sorte potius experiamur.

M. — Ergo cultrum in altum eiacularare.

L. — Eiaculabor. Utrum seligis, latus caractere impressum pronum an supinum?

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antwerpiae ed. an. MDCLVII. — Passim retractavit I. F.

- M. — Deligo pronum.
 L. — Euge, evenit ex sententia: vestrum est intus, nostrum foris consistere.
 C. — Age, auspicemur ludum. Sed quo certabimus pretio?
 P. — Fateor, aliquo periculo certandum est; alioqui friget lusus.
 A. — Utra pars prior tres lusus amiserit, ea victoribus singulis pendet centesimas quinque.
 L. — Placet omnibus. Agite, commilitones optimi, certemus gnavigator; amat victoria curam.
 M. — Age, Arnolde, bonis avibus pilam emitte.
 A. — Vos igitur pilam excipite.
 L. — Euge; non pervenit ad lineam.
 G. — Pervenit omnino.
 M. — Minime vero.
 A. — Volo disquiratur.
 L. — Pila metam praeteriit, spectatores, an non? Negant praeteriisse.
 G. — Inauspicatum hoc auspiciam.
 A. — Non ita animum despondeo: facile iacturam hanc resarsiero.
 P. — Guilelme, praestat te mihi a tergo consistere: pilam excipies, si me transvolet.
 L. — Carole, consiste in medio.
 C. — Potius in hunc me angulum conferam, atque istic observabo, ut ne musca quidem praetervolet impune.
 A. — Agedum, Laurenti, excipe pilam denuo.
 M. — Laurenti, repelle pilam transvolantem me.
 L. — Transvolavit et me.
 P. — Arnolde, virum te iudico: alterum terminum tam longinquum quam priorem emitte, et spondeo tibi victoriam.
 A. — Conabor pro virili. Rursus pilam excipite.
 M. — Profecto Arnoldus est valido brachio: habent duos longinquos terminos.
 L. — Longinquos quidem, sed tamen superabiles.
 C. — Laurenti, vide quo consistat Guilelmus loco: falle eius manus et oculos.
 L. — Excipe pilam, Arnolde.
 G. — Ut qui repercussus exspectasti? Pilam debuisses volatu excipere.
 L. — Cecidit commode sic satis: singuli singulas metas superavimus: utrique habemus quindecim.
 G. — Placide: tua praecipitantia nos opprimere studes.
 C. — Obstitisti pilae tuo pileo, Petre, quod tibi fraudi est.
 P. — At tu secundo recussu excepisti.
 C. — Bona venia tua, priore excepi.
 P. — Ne commutemus inter nos verba: Martine, dirime controversiam.
 M. — Quantum ego visu colligere potui, primo excepisse recussu mihi videtur.
 C. — Vicinus triginta.
 L. — Age, nunc stationem mutemus. Habemus duos terminos.
 A. — Excipe pilam, Laurenti.
 L. — Praesto sum. Fac, commode miseris: tibi domum remittam. Enge! extra metas misisti.
 A. — Tentabo denuo, excipite.
 M. — Pudor, Laurenti! te non potuisse pilam repellere; et tamen erat commodissime missa.
 L. — Quid, commodissime? Stringebat humum. Nisi commodius miseris, Arnolde, par pari mox referam: petis pedes. Ludamus legitime.
 C. — Laurenti, sufficit; illorum nunc est intus

consistere: habemus quadraginta; et terminum bene longinquum.

- G. — Totis viribus, Arnolde, hic est ictus decretorius.
 M. — Hunc ludum certo vicerimus, Guilelme.
 G. — Praeproperere tu quidem ante victoriam triumphum canis. Varia est ut Martis, ita lusus alea.
 A. — Heus! Iudite. Recte! Tetigit pila tibi vestem, Carole.
 C. — Non inficior.
 A. — Habemus et nos quadraginta.
 L. — Probum! Tua imprudentia, Carole, periit nobis ille terminus, alias insuperabilis.
 C. — Mox resarciam.
 A. — Habemus utrique quadraginta. Nunc serio res agitur.
 L. — Dinumerate ludum vestrum.
 A. — Habemus utrique quadraginta. Nunc serio res agitur.
 G. — Lusisti non praefatus, Arnolde; insuper pila limites excessit.
 A. — Praefatus sum bona venia; sed fateor pilam deerrasse.
 L. — Sumus igitur potiores.
 A. — Estis. Hanc, si potestis, ad datorem remittite.
 C. — Fac, mittas commode, conabimur.
 A. — Euge! pila iterato tacta est! Semel a Martino, iterum a Laurentio.
 M. — Quis tecum ludat? Perpetuo rixaris. Pignus depono quodlibet, si me tetigisse affirmament arbitri.
 P. — Falleris, Arnolde; transvolavit illum pila facile dimidium pedem.
 A. — Ubi igitur obstitisti pilae?
 L. — Hic.
 A. — Ponatur igitur nota termini. Vos nunc intro consistite: alterum habemus terminum intra, alterum extra lineam.
 P. — Praestate vos viros, socii, nunc serio res agitur.
 L. — Excipite.
 P. — Euge! successit: facile duobus passibus terminum primum vincimus.
 L. — Excipite; hinc pendet victoria.
 A. — Erratum est: non praeteriit pila lineam. Vicinus lusum.
 L. — Gratulor vobis victoriam, et gaudeo nos iucunde adeo postmeridianum tempus transgessisse.
 P. — Gaudemus et nos pariter. Verum advesperascit, et ludendo adeo sum defessus, ut genua mihi labent lassitudine.
 G. — Insuper vespera nos domum et ad musea nostra revocat: abeamus domum pariter.
 A. — Abeamus.

EX BATAVIA

DE CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO.

Accepimus, et libenter edimus:

Die XI m. Martii in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicae relatum fuit de XXX carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de praemio an. MDCCCVI certarent. Victor renuntiatus fuit

IOHANNES PASCOLI Bononiensis,

qui *Rufum Crispinum* cecinerat. Praeterea sex carmina laudata fuerunt, nempe: *Ultima linea*, *Excidium*

Correrianum (cecinit FR. XAV. REUSS Romanus), *Rusticatio*, *Ancilla* (cecinit ED. SAN GIOVANNI Neoboracensis), *Duo magi*, *Ναυπηγοεπιτομία*. Haec quoque carmina legati Hoeufftiani sumptibus edentur, si poetae aperiendi schedulas veniam dederint, quod iam duo fecisse indicavimus.

Amstelodami, d. XI m. Mart. MDCCC VII.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum:

Tertiariis ex utroque sexu Ord. S. Dominici confessis et S. Communionem refectis plenaria indulgentia conceditur A) die ingressus in Tertium Ordinem quo eiusdem habitus recipitur; die professionis; quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint; semel in mense die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per quartam horae partem, vel per mediam horam orationi mentali vacaverint; quo die canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam, vel primae Missae alicuius sodalis adstiterint confessi ac S. Communionem refecti. — B) Iisdem Tertiariis si confessi et sacra Communionem refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus, quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint, sc. Nativitatis D. N. I. C., Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, SSmi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis, SSmi Rosarii, S. P. Dominici, S. Catharinae Senensis. — C) Iisdem Tertiariis si confessi ac S. Communionem refecti ecclesiam Ordinis aut Sodalitii devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint diebus festis sequentibus: Nativitatis D. N. I. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SSmi Corporis Christi, SSmi Cordis Iesu, Purificationis B. M. V., Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, SSmi Rosarii, Patrocinii B. M. V., Praesentationis, Immaculatae Conceptionis, S. Raymundi de Pennafort Aquin., Translationis S. Thomae Aquin., Translationis S. Catharinae Senensis, S. Thomae Aquinatis Doct. C., S. Iosephi Sponsi B. M. V., S. Vincentii Ferreri C., S. Agnetis de Monte Politiano V., S. Petri Mart. O. P., S. Catharinae Senensis V., S. Pii V Papae et C., S. Antonini C., Translationis S. P. Dominici, S. Ioannis O. P. et Sociorum MM. Gorgom., S. Mariae Magd. Protect. O. P., S. P. Dominici, S. Hyacinthi C., S. Rosae Limanae V., Commem. S. P. Dominici in Suriano, S. P. Francisci Assis., S. Ludovici Bertrandi C., Omnium Sanctorum O. P., S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. P., iis qui quatuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis devote interfuerint ac confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint. — D) Iisdem Tertiariis morituris, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS. Iesu nomen ore, si potuerint; sin minus corde devote invocaverint.

Conceduntur pariter indulgentiae plures partiales et privilegia atque indulta, prouti sequitur: a) Sacerdotes Tertiarii, ad quodlibet altare Missam celebraverint, gaudent indulto personali altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint; b) Missae omnes, quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae; c) Tertiarii degentes in locis ubi nulla exstat ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalitii lucrari valent eas omnes indulgentias, quam si dictam ecclesiam

visitent, ceteris conditionibus adimpletis; d) Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater et Ave* et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii recitaverint, ceteris tamen conditionibus adimpletis; e) Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatam respectivae domus sacellum visitando, ceteris adimpletis conditionibus; f) Tertiarii recitantes Officium parvum B. M. V. secundum ritum fr. Praedicatorum easdem indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti exstat in Breviario Romano recitaverint. (Ex decr. d. XIII mens. Iunii MDCCCXVI).

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Febr. - d. XX mens. Martii MDCCC VII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque muneris gratia Pontificem de more adivere, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Georgius Delrio, episc. electus Hieracen.; Thomas Kennedy, rector Collegii Septentrionalis Americae de Urbe; I. P. Hirsch, antistes Urbanus, athenaei Friburgen. doctor; Petrus Hojunian, rector Collegii Armeniorum de Urbe. episc. electus Alexandrinus Armeniorum; Iosephus Habra, coroeppiscopus et procurator Patriarchatus Syrii Antiocheni; Raphael Errazuriz, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Chilensis reipublicae, publicas auctoritates praebens ad suo munere fungendum; Michael Moroni comes, e ducibus pontificiae nobilitum stipatorum cohortis; Ernestus Schonberg-Roth-Schonberg dynasta, eiusque uxor; Fabius Fani comes; Iulius Serafini, Urbani Seminarii Pii rector, episc. Piscien. electus; Wite comes, Civitatum Foederatarum nordicae Americae apud Gallos legatus; Mediolanensium peregrinorum manus ab Emo Card. Andrea Ferrari, Mediolanensi archiepiscopo, coram adducta; Sanctinus Continho, archiepiscopus Belemen. de Para; eodem vir Michael de Bragança; Galeazzus Thun de Hoenstein, Hierosolymitani Ordinis equitum Melitensium magister maximus; Fridericus Benizio de Souza Costa, episc. electus Amazonum; Bruno Chaves, Brasiliae administer apud Apostolicam Sedem, coram adducens peregrinorum e civitate sua manum; Sacer Purpuratorum Senatus fausta Pontifici adprecans ob diem eius nominalem; denique, ad eundem finem, die S. Iosepho sacra, aulici omnes e Pontificia domo, et Sodalitas Petriana e catholica Itolorum inventute, canistrum ex floribus et fructibus de more offerens.

Pontificiae electiones.

Purpuratis Patribus consilium Sacr. Rituum Congregationis constituentes adduntur Franciscus Card. Satolli, episcopus Tusculan. et Franciscus Card. Cassetta, episcopus Sabinen.

Inter indices Congregationis Indulgentiarum et Sacr. Reliq. refertur r. p. Raphael Cianfrocca Sch. Piar.; inter indices autem Congregationis Episcoporum et Regularium adleguntur rr. pp. Pius a S. Iosepho ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, Petrus Bastien ex Ord. S. Benedicti et Aloisius Santoro ex Ord. Min. S. Francisci Conventualium.

Vita functi viri clariores.

Die XXII mens. Februarii Appamiae Petrus Eugenius Rougerie, illius dioecesis episcopus inde ab an. MDCCCLXXXI, in oppido Aix-sur-Vienne n. d. XXV mens. Ianuarii MDCCCXXXII.

- d. XXVII Roseti Bernardinus Caldaoli, Grosse-tanae dioecesis episcopus, in castro del Piano Senensis provinciae n. d. VI mens. Decembr. MDCCCXLVII, vir scientia et pietate insignis.

- d. XXVIII Deriae Ioannes Keys O' Doherty, Derriensis dioecesis episcopus, Kemplemore n. d.

XXIII mens. Septembr. MDCCCXXXIII, episcopus cr. d. XXVIII mens. Decembr. MDCCCLXXXIX.

- d. XIV mens. Martii Augustae Ausiorum diutino morbo consumptus Cristophorus Enard, archiepiscopus Auxitanus, Villotto in oppido Viridunensis dioeceseos n. d. XV mens. Iunii MDCCCXXXIX, episcopus Cadureen. creatus d. XXV mens. Iunii MDCCCXCVI, in metropolitana Auxitan. translatus mens. Iunio MDCCCXVI.

ANNALES.

Gallorum fides.

Gallorum reipublicae summi magistratus novas semper in Christi Ecclesiam instruere iniurias videntur. Non enim satis fuit Pontificii legati scripta omnia tum publica tum privata hostili manu eorum iussu esse direpta et ius gentium violatum; ea enim modo scripta, arcani quoque lege spreta, qua passim negotia, inter gentes agitata, praepedita sunt, typis edicantur, prout illi iactant, quoniam molimine Romanus Pontifex contra Rempublicam Christifideles incitaret. Electa est itaque ex popularibus legatis censorum manus, qui ideo sortiti sunt, ut ex eis scriptis quae vulganda sint eligant quaeve occultanda. Hisce itaque modis in Pontificem iniuriae multiplicantur et in virum inermem vilissimi hostes iacula vibrant.

Ibericae res.

In Iberia quum eadem odia fere suscitarentur, Maura praeses iterum ad publicae rei moderationem delectus, ea molimina distulit. Haec inter Saxonum rex ad Alfonsum Madritum ivit visitaturus, multis quidem festivis pompis exceptus et effusa laetitia. Modo uterque rex adventanti Eduardo, Anglorum regi, obviam proficiscuntur, ut salutanti atque visitanti grates agant reddantque humanitatis officia.

Brunsvichiani regni successio.

Germanici foederis generalia comitia modo coacta ut de Brunsvichiana ditione potinnda cognoscerent, unanimi suffragio decrevere, nihil in re esse immutandum ducesque e Cumberlandia gente ab ea hereditate arcendos esse omnino.

Macedonum perturbationes.

Si modo ad Orientales res convertimur, de Macedonum perturbationibus multa hodie disceptatio inter Turcarum regem atque legatos Europaeorum gentium; quia Turcarum magistratus omni ope obesse legatis contendunt, qui ad pecuniarias Macedonum res administrandas missi sunt.

Mauritanum civile bellum.

In Mauritania Er Raisuli, perduellium princeps, ad arma iterum convolasse fertur: nam ex asylo, quem amicos apud populos nactus est, copiis et armis et commeatus copia redintegratus, bellum instauraturum se minatur. Inde enim apparet satis Mauritanum imperatoris

copias et numero et disciplina late fuisse imminutas. Interea Müller, Helveticus ille tribunus, qui omnium gentium a legatis delectus est ut vigilum cohortes mandato peculiari cogeret et edoceret, in Mauritanos iam appulit iamque Lusitanorum subditorum tutelam accepit. Galli vero Iberique legati de hisce cohortibus cogendis iam inter se foedus inierunt.

Bulgaricum crimen.

Bulgarorum administrorum praeses Petkow sicarii manu est enecatus. Aderat hic pariter cum Stambulow, qui simili crimine iam interfectus est. Vir erat fortis et sapiens omnique prudentia praeditus. Necem eius inter athenaei discipulos constitutam ferunt, postquam eorum aulas regio decreto intercludi contigit. Eius ob obitum Grudew, qui legatorum coetui praeerat, in administrorum collegium moderandum intendit.

Rumenica seditio.

Proxima autem in Rumania, seditiosae agriculturalum turbae incredibiles tumultus moverunt. Diu enim ab argentariis foeneratoribus, maximeque Indaeis, qui eorum late terras et agros emerunt, agriculturalum misera fortuna compressa est. Igitur imminutis paullatim stipendiis atque prope ad egestatem agricolis redactis, eorum mens ultionis consilia agitavit. Conflata iam turba et ad urbes obsidendas armata ad vim venit, igni et ferro omnia vastatura; quam proinde militari manu urbium moenibus arcere necesse fuit. Optimates vero ditissimique principes tanto timore exterriti ad regem confugere, eius ad mediationem impetrandam. Qui reapse ea remedia, quae adhibenda ad rem essent, studiose indigitavit.

Americanum bellum.

In Americana media regione inter Nicaraguanam et HondurAsianam Respublicas flagrat bellum, iamque huius milites et intestina seditione et hostili audacia simul superati ter quaterque feruntur, hondurAsianusque praeses in fugam versus, imperatoresque et urbes captae. Hisce eventibus atque maxime mediatione interposita Americanae Nordicae foederationis bellum brevi absolutum iri tenemus.

Russorum discessus ex Asia.

Qui reliqui adhuc in Mandchouria Sinensi provincia novissimum post bellum manebant Russici milites, hisce adamussim diebus eius ex finibus discessere; ita omnis iterum regio Sinensi ditioni reddita est.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Americanis nordicis civitatibus de mercatoria classi quae hinc per Atlanticum, inde per Pacificum oceanum commercia agit, novissimae leges latae. De Iaponensium autem

discipulis, qui a Californianis scholis pulsi sunt, nihil adhuc constitutum.

In Anglia coram municipum legatis de re militari diu est disceptatum. Qui bellicis legibus praest, Haldane, quae innovanda sibi viderentur optime exposuit, de paucis nimirum militibus sive e cohortibus sive ex navigiis minuendis. Rogatio de anglicana Ecclesia ab imperio seiungenda est adprobata. Lex quoque de praecipuis legibus a. MDCCCLXXI contra Hibernos constitutis modo abrogandis lata est.

In Austria de commerciali foedere cum Hungaris innovando negotia trabuntur: Czechorum oratorum supplex libellus de venia criminum laesae maiestatis indulgenda Caesari oblatum; at severa reprehensione Franciscus Iosephus Caesar respuit.

In Gallia ex oratoribus populi quidam electi sunt, qui documenta et regesta et epistolas a Pontificii legati domo directa ad trutinam revocent, quaeve ex eis vulganda necne sint videant.

In Germania coram oratoribus populi de Meklemburgensis regionis legibus statutariis acriter iterum est disceptatum; tandem enim Magnus uterque regionis dux consensus antiquam legem, anno MDXXIII conditam, esse abrogandam novasque leges esse condendas, quae hodiernis moribus melius respondeant.

In Iberia ad novos populi oratores deligendos comitia parantur.

In Italia post aliquot approbatas leges, inter quae deminutio vectigalis de petroleo, ferias ad secundam Aprilis mensis partem coetus remisit.

In Lusitania de innovanda lege, quae librorum impressionem et editionem regit, acerrime inter administratos et legatos populi est disputatum.

In Rumenia Lahovary, qui res externas gerebat, vita functo, eius in locum consobrinus Iacobus Lahovary est a rege delectus, qui hactenus publicis operibus praefectus fuit.

In Russia Petropoli novis in aedibus iterum coacta comitia novorum oratorum fuere, cui Golovinius praest. Stolypinius, administratorum collegio praepositus, regii consilii libere mentem aperuit. Contentiones factionum, licet asperimae, non adeo tamen flagrarunt ut in anti-quis comitiis contigit.

In Serbia de commerciorum foedere iterum cum Austrorum imperio innovando resumpta est coram populi oratoribus rogatio.

In Suetia de pecunia regis filiis conferenda quotannis ante populi legatos est disceptatum atque necesse fuit popularibus votis indulgere.

In Uruguayana Republica novus reipublicae praeses Williman plurimis suffragiis electus est.

PER ORBEM.

Die XXI mens. Februarii MDCCC VII, quinquaginta et septem annos natus Lutetiae Parisiorum moritur Henricus Moissan, chymicae artis magister, ob studia in « fluorum », nikelium et ob perfectissimum furnum electricum a se inventum valde celebratus.

— *Berlin* vectoria navis, iter inter Karwich et Rotterdam quotidianum peragens, turbine

circumventa ad Bataviae litus impellitur atque disiecitur magna viatorum caede. Pauci enim sospites evadunt, licet Batavi, ipso regio principe Henrico duce, conatus omnes in naufragorum auxilium, vento et glacie impediti, adhibeant.

— d. XXIV similia Cretae insulae ad oras *Imperatrix* navi occurrunt; quamquam, admotae russicae gallicaque naves prope ad ancoras deligatae, plurium vitae sive nautarum sive viatorum parcere possunt.

— d. XXV Torricella supra Herba in suburbano placide ac pie quiescit octoginta et septem annos natus Stephanus Stampa comes, Alexandri Manzoni, scriptoris illius clarissimi, privignus; Tubingae autem Franciscus Xaverius von Furk, historiae ecclesiasticae christianarumque antiquitatum in illo athenaeo doctor, a sapientibus viris iure meritoque permagni habitus.

— d. XXVII Monteregali in urbe Septentrionalis Americae incendium in schola exortum pueros viginti tres eorumque magistram misere absumit.

— d. XXVIII Raphaela, in oppido provinciae Sanctae Fidei in Argentina republica, turbo nosocomium, ecclesiam, scholam, maximamque privatarum domorum diruit.

— d. IV mens. Martii Neo-Eboraci in urbe media nocte ad Hudson flumen trecenta et ultra ignitae pulveris, cui dynamites nomen, chilogrammata immenso fragore incenduntur. Terra veluti terraemotu late quatitur; damna vero non maxima lugentur.

— d. VII Romae improvisa morte corripitur Nicolaus Gallo, iustitiae cultumque in Italia administer, Agrigenti n. d. X mens. Augusti MDCCC XLIX.

— d. VIII operarii electricis officinis Lutetiae Parisiorum vacantes ex conducto a labore abstinent: ita urbs nocte tenebris late involvitur. Ob aquarum penetrationem, quam electricae machinae immotae repellere nequeunt, inundatio fit per viam ferreis axibus stratam, urbem circumdantem.

— d. XII Tolonae in portu loricata navis *Iena* ob ignitae pulveris incendium dirumpitur, quassatur. Mortui in magna ruina ducenti feruntur; trecenti et ultra vulnerati.

Lutetiae Parisiorum obit Casimirus Périer, quondam reipublicae praeses, inibi natus an. MDCCC XLVII.

— d. XIV primo mane Petropoli in Tauridis palatio, dolo an casu incertum, lacunar aulae, ubi publicus legatorum coetus legibus ferendis congregatur, praecipitat.

— d. XVIII Lutetiae Parisiorum apud uxoris cadaver, dolore victus, animam efflat Petrus Eugenius Marcellinus Berthelot, chymicae artis nostris diebus facile princeps, in Gallorum urbe capite natus d. XXV mens. Octobr. MDCCC XXVII.

— d. XIX Sancti Rhemi in oppido sexagesimo quinto anno fati concedit Vladimirus Nicolaus Lamsdorff, qui rationes Russorum apud exteras gentes plures annos moderatus est, atque etiam quum infelix bellum cum Iaponiis in Asia gerebatur. Quamquam bello eidem infensus videretur, obstitit tamen quoad potuit ne componeretur priusquam Russorum arma victoria aliqua honestarentur.

CAELESTINUS DURANDO.

Alterum funeris nuncium ex hac olim regni capite urbe tristissimum mitto. Nuperrime Vincents Lanfranchius decessit, hodie, sexto kal. Ap., Caelestinus Durandus, salesianorum familiae sodalis in primis clarus, viridi adhuc senecta, inter suorum preces moestitiamque placidissime quievit. Hic pene puer, vestigia Ioannis Bosco sacerdotis Patris legiferi secutus, adeo consiliis moribusque eius mordicus adhaesit, ut nunquam, vel post quinquaginta annos, e latere viri discederet. Studiis ingenioque insignis, diu latinas litteras apud nos in puerorum Collegiis maximo omnium fructu tradidit, et uno eodemque tempore multa italorum scriptorum volumina adnotationibus aucta in vulgus edenda curavit. Sed prae ceteris memoria clarissimi viri apud posteros prorogetur per lexicon latinum atque italicum quod, multis mendis expunctis, quibus cetera scatebant, accuratissime in nostrorum puerorum utilitatem, omnibus plaudentibus, evulgavit. Vel ipse Thomas Vallaurius, pluribus verbis diligentissimum eundemque carissimum doctrinae suae alumnum commendavit, et quamvis hac in re principem se reputaret, imperium tamen cum adsiduo atque arguto discipulo citra invidiam divisit.

Caelestinum Durandum luget salesianorum domus; eum quoque latinae litterae luceant, quarum fuit haud indecorus cultor.

Haec raptim et moerore confectus

Augustae Taurinorum, d. XXVII mens. Mart. MDCCC VII.

SUBALPINUS.

AENIGMATA

I.

Garrula sum volucris; frontem mihi sigmate adauge:
Maturae segetis culmina summa noto.

II.

Didonis germana diu Carthagine vixi:
Expulsae Latium praebuit hospitium.
Adde mihi vocem, qua iurgia dira notantur:
Res gestas narrans illico fio liber.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comaediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. X, n. I proposita his respondent:

1) Leo-nardus; 2) Mors.

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori, *Mediolano*. — F. Guerra, *Atetto*. — Senior Astensis. — Rich. Müller, *Berolino*. — Merky *Bellemagny*. — Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Arn. Rudzianski, *Tiflissio Cartalinorum*. — I. Ortiz, *Morelia*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*.

Sortitus est praemium:

F. GUERRA,

ad quem missum est IOANNIS BATTANI opus, cui titulus:

ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA

SPONSOR: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

SCENA IV.

ANASTASIUS, LONGINUS, PELAGIUS.

ANAST. O rara pietas! Cernis ut caelum prece
Affusus humo pulset! Abstractum quies
Avexit animum. Mortis obriguit gelu
Et vix anhelo surgit afflatu sinus!

LONG. Abscede, stipes; arbitro locus vacet (1).
Clotho besti; perstat in praedam fera.
O vile terrae pondus! O mundi probrum!
Informe spectrum! Tartaro addictum caput!
Precare, plora, rumpe singultu latus,
Superos fatiga; frange caelituum fores,
Aures Tonantis tunde. Te nullus mihi
(Fac velle) Deus eripiet. In fraudes pates.
Quid fraudibus opus? Vota vindictae moror.
Sors ipsa dextrae fecit ultrici locum.
Solum cruentas provocat praedo manus.
Solum lacessit. Odia praecludunt moras,
Odia profani capitis. Age, faustum scelus
Molire, Caesar; hostis in iugulum rue.
Disrumpe fibras: mille per partes eant
Distracta membris membra; nudentur sinus,
Oculi eruantur, guttur elisum sonet.
Laceretur undique; qualis Actaeona canis
In mille rictu frusta rabioso dedit,
Talis, age, rapta, velle, praemorde, seca;
Nec ponat ira, donec evulsum fibris
Cor, cor inimicum, dente sub duro crepet,
Morsum, semorsum (2). Sica, sanguines ebria
Liquore, sica; sica vindictae memor,
Saevae ministra mentis, insontum intimas
Solita medullas visere, hic vires cape.
En praeda nobilis. Esse (3) mucroni solet
Lethalis acies, corda cum punctum ferit.
Cuspis fidelis, perfer in fibras necem.
Eatur... (4) Horror pectus invictum quatit.
Magnis adhaeret horror incoeptis comes,
Sed dum inchoantur, coepta texuntur bene.
Repetamus orsa... Rursus absterret pavor.
Quam timida mens est criminis iniqui rea!
Fallor profecto. Levia qui peccat timet;
Qui facinus omne versat, audacem voca.
Non sic abibit hostis. Insuetam cie,
Longine, rabiem; pectus antiquum advoca.
Si quid retusis ira cuspidibus hebet,
Hac acue cote; spirat, en spirat tibi
Qui rapere pugnat spiritum; et segnis iaces?
Alto superbit vertice; excussum throno
Qui te profanat pedibus, et cohibes manum?
Fama beatus fruitur, imperii gradum
Qui promerenti sparsit hac mendax probra:
Longinus igne iactat inimico faces
Dirus Cometa, dixit; et vivit tamen?
En, cerne coram, vivit! O turge dolor!
Toto furore, viribus totis age (5).

- (1) Anastasius se subducit.
(2) Eductam sicam alloquitur.
(3) Sicae mucronem digito pertentat an sit acutus.
(4) Arcana vi repellitur.
(5) Irruens in Pelagium, audit vocem eius et sistit gradum.

PEL. (1) Iesu, ruenti subiice patriae manum!...
LONG. Dormitor Averni, subde Longino manum;
Exile qualem murmur evertit virum!
Pervicta vis est, obstat incoeptis polus;
Dolis agendum video; sat furiis datum (2).
Mens prona; fraus parata; maturus locus;
Expositus hostis; nemo spectator: bene est.
Huc Iovis imago; litterae Harmatii ducis
Intus... Renatos numquid e trunco Deo
Adorat iste?... Caesar huc aulam trahet!...

SCENA V.

LONGINUS, PELAGIUS, ANASTASIUS, ZENO, SEBASTIANUS,
aliique PROCERES, MILITES.

LONG. Adeste, Proceres. Cernis ut prono Iovem
Veneretur ore?

ZEN. Per stygem putris colit
Simulacra ligni.

SEB. Frontis hic torvae dolus?

ANAST. Proh summe rector! Ludor, an cerno satis?
Perosa terras cessit in caelum fides.
Pelagius?

PEL. (3) O labentis imperii salus,
Compesce fulmen!

ZEN. Sic Iovis flammam times?
Aliud timesces fulmen, imperii lues.

PEL. (4) Compesce fratres!

LONG. Vota malefaustae stygis
Et vivit?

SEB. Et respirat?

ZEN. Et laetos trahit
Sine nube soles? Miles, huc citus manum!

PEL. (5) Quis me sereno mentis excessu excutit?
Ferule spectrum! Christe, quis pro te mihi
Abominandi subdit effigiem Iovis?

ZEN. O machinator fraudis! Inveni dolos.
Sic exsecrandum genibus et votis Deum
Sacrilege adoras?

PEL. Grande detestor nefas.

ZEN. Deprensa fraus est. Miles, in latebras age.

PEL. Cohibete dextras; ibo; nil vinclis opus.
Duc ad tribunal. Iuris appello forum;
Ubi, teste caelo, fraudis impositae notam
Eluere fas sit.

ZEN. Dabitur oranti forum;
Meditare causam saxeo in specu prius! (6).

LONG. Quid hic?
Harmatius Pelagio salutem?
Olympi summe regnator!

(Ad proximum numerum).

- (1) Inter orandum.
(2) Circumspicit undique; mox Iovis effigiem lineam bacillo
concavo impositam extrahit sinu; intra bacilli concavum litteras
quasi Harmatio scriptas includit. Iovem ante Pelagium ponit, Zeno-
nemque cum aula convocat.
(3) Adhuc inter orandum.
(4) Ut supra.
(5) Excutitur Pelagius, qui Iovis simulacrum videns, abicit a se.
(6) Iovis imago redditur Longino. Is quasi casu incidens in
Harmatii litteras, inscriptionem elata voce legit.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCXVII.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM

ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Vox Urbis* expresse edito fruatur.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem – bibliopolis exceptis – dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino fruatur.

Kalendis Ianuariis MDCCCXVII "cumulativa", subnotatio instituta est inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.
Ven in Italia lib. 18; apud exteras gentes lib. 34,50.